

B. N. II, 298.  
h. 57, 20.



DE  
**FIDEICOMMISSO**  
SVB CAVSSA  
CONDITIONALITER CONCEPTA RELICTO

*Ex mente Q. Ceruidii Scaeuelae in L. LXXX. D. de  
condit. et demonstr.*

P R A E S I D E  
**ERNESTO MARTINO**  
**CHLADENIO D**

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSI  
LIIS AVLAE AC IVSTITIAE, DECRETALIVM PROFESSORE PUBLICO,  
FACVLTATIS IVRIDICAЕ ORDINARIO, CONSISTORII ECCLESIA  
STICI DIRECTORE, CVRIAЕ PROVINCIALIS ET SCABINA

TVS ASSESSORE PRIMARIO

D. IVLII A. R. S. CCICCLXV

I N A V D I T O R I O M A I O R I

P U B L I C E D I S S E R E T

A V C T O R

IOANNES CHRISTIANVS FRANCKIVS

VITEBERG. SAX.

VITEBERGAE  
LITTERIS B. EPHRAIM GOTTLÖB EICHSFELDI  
ACAD. TYP.



D E

L I D E T I G O M M I S S O

S A F C 9 7 2 2 A

C O N D I T I O N I P R I V A T A R E I C H T O

F U N D U M S Q U A R E C O M M U N I C A T I O N

C O M M U N I C A T I O N

E R I N A S O M A T I O  
C H R Y S O D I N I O D

C H R Y S O D I N I O L I T T O C O M M U N I C A T I O N  
C H R Y S O D I N I O L I T T O C O M M U N I C A T I O N  
C H R Y S O D I N I O L I T T O C O M M U N I C A T I O N  
C H R Y S O D I N I O L I T T O C O M M U N I C A T I O N  
C H R Y S O D I N I O L I T T O C O M M U N I C A T I O N

G R A M M A T I C A L I T R I N C I A S

G R A M M A T I C A L I T R I N C I A S



L. LXXX. D. de condit. et demonstr.

SCAEVOLA Lib. VIII. Quaestio[n].

Eas caussas, quae protinus agentem repellunt, in fidei-  
commissis, non pro conditionalibus obseruari oportet.  
Eas vero, quae habent moram cum sumptu,  
admittemus cautione oblata. Nec enim parem di-  
cemos eum, cui ita datum sit, si monumentum fe-  
cerit; et eum, cui datum est, ut monumentum  
faciat.

§. I

SCAEVOLAE AETAS, GENTILITAS, SCHOLA,  
ET SECTA.

DIFFICILIORIBVS veterum Iureconsultorum frag-  
mentis, in corpus Pandectarum relatis, ex sententia  
virorum iuris ciuilis peritissimorum, CVIACII; \*

A 2 ALTA-

a) Breuem atque concisum, imo pene Laconicum, esse Scaenolam sicut  
CVIACIVS in Praefat. ad Q. C. aid Scaenolae. Respons. T. III. oper.  
postumor. edit. Fabrott. Lutet. Parisior, 1658.

ALTAMIRANI,<sup>a</sup> aliorumque, ea praesertim, quae e Q. CERVIDII SCAEVOLAE libris defumta sunt, accenserit merentur. Q. CERVIDIUS SCAEVOLA, hoc enim verum eius fuit nomen, autore PAVLO,<sup>b</sup> uti etiam legit liber Digestorum Florentinus, quem studio LAELII ET FRANCISCI TAYRELLORVM tenemus,<sup>c</sup> vixit sub diuis fratribus et Commodo. Neutquam vero Muciorum gentilis dicendus est, uti tamen visum CVIACIO.<sup>d</sup> Seueri Imperatoris et Papiniani fuit Praeceptor.<sup>e</sup> Prudentissimum Iureconsultorum cum Imperatores Arcadius et Honorius vocant.<sup>f</sup> A D. Marco ad consilia et iura condenda praecepit fuit exhibitus.<sup>g</sup> Eius tanta fuit apud Iureconsultos, etiam coaeuos, auctoritas, ut ab HERENNIO MODESTINO<sup>b</sup> inter coryphaeos Iureconsultorum numeretur, ut etiam ad eum saepius prouocent PAVLVS,<sup>i</sup> VLPIANVS,<sup>k</sup> TRYPHONINVS,<sup>l</sup>

## MAR-

*a) Commentar. ad prior. XIII. libr. quaeſt. in MEERMANNI theſ. T. II.*

*b) L. 38. ſ. 3. D. de vulg. ſubſtitut.*

*c) Prodit Florentiae 1553. III. Vol. in fol.*

*d) CVIACIVS ad leg. 10. D. de uſurpat. et uſucap.*

*e) SPARTIANVS in vita Antonini Caracallae Cap. VIII.*

*f) L. 3. Cod. Theodos. de teſtament. et Codicill.*

*g) IULIVS CAPITOLINVS in Marco Cap. XI.*

*h) L. 13. ſ. 2. D. de excuf.*

*i) L. 19. ſ. 2. D. de negot. geſt.*

*k) L. 6. D. de bis qui fui vel ait. ſ. 2. ſunt.*

*l) L. 12. D. de diſtr. pignor.*

MARCIANVS,<sup>a</sup> et ipse Imperator IVSTINIANVS.<sup>b</sup> Eis  
schola, ut CVIACIVS<sup>c</sup> dicit, SENATVM quasi aperuit IV-  
RECONSULTORVM, et clariores edidit Iurisprudentiae pro-  
ceres, Paulum, Vlpianum, Tryphoninum, et, qui antiqui-  
tatem doctrina et gloria vicit, posteritatem autem eiusdem  
gradus spe exuit, Papinianum. Cum ea Scaeuelae sit aetas,  
ut sectae cuidam, nam sectandi studium tunc temporis non-  
dum plane deferuerat, addicetus esse potuerit, merito a vi-  
ris doctis quaesitum, cuius familiae placita fuerit secutus?  
Eum quidem BERTRANDVS<sup>d</sup> Proculeianis, contraria ex  
parte A BOECKELEN<sup>e</sup> Sabinianis accenseret. Nos autem, cum  
MASCOVIO,<sup>f</sup> eum Miscellionibus annumerare non dubitar-  
mus. Eas enim utriusque familiae sequitur sententias, quae  
iuri, ex ipsius iudicio, magis respondent, et nec Sabini, nec  
Proculi, autoritatem in respondendo attendit, cuius rei egre-  
gia extant documenta. Scilicet nunc Sabini sententiam,<sup>g</sup> li-  
cet Proculus dissentiat, defendit, nunc autem Proculi sen-  
tentiam verissimam esse<sup>b</sup> dicit. Fuerunt quidem, qui ex insti-

## A 3

tuto

- a)* L. 47. §. 1. D. de solutionib. et liberationib.
- b)* §. 16. Inst. de excus. tutor.
- c)* Ad Quæstion. Papinian. Pr.
- d)* In vita Scaeuelae.
- e)* De familiis veterum Iureconsultorum.
- f)* De sectis Sabinianor. et Proculeianor.
- g)* L. 93. §. 3. D. de jut. et liberat.
- b)* L. 14. D. de iur. Codicill.



tuto de Scaeuela scripserunt, singularique hoc argumentum  
pertractarunt studio, quo nomine praesertim laudandi sunt  
**IOANNES ORTWINVS WESTENBERGIVS,**<sup>a</sup> et Vir. clar.  
**IOANNES LDOVICVS CONRADI.**<sup>b</sup> Nos tamen paucis,  
ne silentio praeterire videamur legis nostrae autorem, sin-  
gularia quaedam de more respondendi **SCAEVOLAE**, cum  
etiam de stilo eius, dicemus.

## §. II

## SCAEVOLAE MOS RESPONDENDI.

**PLVRIMVM** certe Iureconsulto assert utilitatis et admi-  
nliculi ad feliciter extricandos legum nodos, si indolem et  
stilum eius Iureconsulti, cuius fragmenta interpretari velit,  
bene noscat. Ad indolem Iureconsulti autem mos eius de  
iure respondendi quoque pertinet, quare eo diligentius in  
eo disquirendo apud Scaeuelam versari debemus, ut ex in-  
genio eius lumen accendamus fragmentis difficilioribus. Si  
**GRAVINAM**<sup>c</sup> audias, Ceruidii Scaeuelae Responsis nihil est  
grauius, nihil priscae sanctitati similius, nihil denique pro-  
pius ad causae veritatem. Diligenter autem, obseruante **DVA-**  
**RENO,**<sup>d</sup> quaestionem **IVRIS** a quaestione **FACTI** separauit.

ET

<sup>a)</sup> *Dissertatio de iurisprudentia Q. Cernid. Scaeuelae Lugd. Batavor. 1734.*

<sup>b)</sup> *De vita et scriptis R. Cernid. Scaeuelae Iurisconsulti liber singularis Lips. 1755.*

<sup>c)</sup> *GRAVINA de Orig. et Progr. Iur. Civ. Liv. 1. §. 98.*

<sup>d)</sup> *In libr. qui inscribitur: Scaeuela.*

Et varios quidem modos SCAEVOLA in respondendo ad quaestiones sibi propositas adhibet. Interdum ait, DE IV. RE NON QVAERI,<sup>a</sup> qua formula utitur, si quaestio proposita non ad ius, sed factum, pertinet, atque ita, se ad illam respondere nolle, significat. Interdum responsis suis praemittit haec verba: SECUNDVM EA QVAE PROPONUNTUR,<sup>b</sup> quod sit, cum, quid verba sibi velint, statim quidem apparet, sed tamen de eo, quid actum sit, quaeri adhuc possit. Sin autem quaestio proposita singulare contineret factum, ex quo sententia eius pendebat, illud respondens repetebat, <sup>c</sup> quo consultorem submonere videbatur, ut bene sibi prospiciat, ne rem aliter, quam se haberet, exposuerit, illi enim decisionis suae rationem inniti. Interdum ex coniectura dubitis circumstantiis, ut ROBERTVS<sup>d</sup> accurate monet, aut qualitate facti, propositam dissoluit quaestionem, quod per verba, ITA SIBI VIDERI, vel NON VIDERI,<sup>e</sup> indicat. Sin autem quaestio proposita iam per se clara est, talia in respondendo adhibet verba, quae, illam responsione non indigere, declarant, et responsioni suae adiungit verba: CVR

NON.

a) L. 20. §. ult. D. de instruct. vel instrum. legat.

b) L. 89. §. i. D. de legat. II. L. 9. D. de Legē Commiff. et L. 47. §. f. D. de admin. et peric. rur.

c) L. 122. §. 4. D. de verb. oblig. et L. 10. D. unde cognat.

d) Sentent. libr. IV. Cap. XV.

e) L. 35. §. 3. D. de legat. III. L. 101. D. de legat. III. et L. 18. D. de aliment. et cibar. legat.



NON.<sup>a</sup> Interdum respondet de iure, conditionem tamen responsioni adiungit, qua, ex facti qualitate, quae nondum sat certa, rem porro iudicandam esse, indicat.<sup>b</sup> Ad hunc respondendi modum acute allusisse videtur **CASCELLIVS** iureconsultus.<sup>c</sup> Nam cum lapidatus a populo Vatinius, gladiatorium munus ederet, obtinuit, ut aediles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum, mitteret. Tunc **CASCELLIVS**, consultus a quodam, an nux pinea pomum esset, respondit, si in Vatinium missurus es, pomum est. Non raro quoque ex antecedentibus rem diiudicandam esse dicit.<sup>d</sup> Sin autem factum non satis elucescit, absolute responderi posse, negat, remque boni viri arbitrio dirimendam esse censer.<sup>e</sup> Ceterum obiter adhuc monemus, ei proverbum illud: **IVRA VI GILANTIBVS SVNT SCRIPTA**, tribui.<sup>f</sup>

### §. III

#### STILVS SCAEVOLAE.

QVOD ad stilum eius attinet, breue et concisum dicendi genus sequitur. Verbis ad rem, quam tractat, accommodatis,

a) L. 19. §. 1. et 2. D. de ann. legat. et fideic. add. L. 47. §. 7. D. de admin. et peric. tut.

b) L. 29. §. 1. D. ac p. a. dotal.

c) **MACROIVS** libr. 2. **Saturnal.** Conf. **AEGIDIUS MENAGIT** Amoenitat. iur. civil. Cap. VIII. ubi plura ac **CASCELLII** ingenio.

d) L. 41. §. 6. D. de legat. III.

e) L. 13. D. de ann. legat.

f) Conf. **GRAVINA** de **Ortu et Progressu Iur. Civ.** Lib. i. §. 98. et ipse **SCAEVOLA** in L. 24. D. quae in fraudem Credit.

datis, utitur, et praesertim schema graecum, anantapodoton, quod est oratio reditio carens, in deliciis haberet. Saepius hoc schema in corpore iuris occurrit, et per illud leges, alias difficillimae, explicantur. Sic SCAEVOLA, controversia inter legitimam et scriptum heredem orta, eaque per transactionem finita, ad quaestionem, quem creditores conuenire debeant? respondens, **SI IDEM CREDITORES ESSENT,** tacite repeti vult verba, **REM ESSE TRANSACTIONIS LEGE FINITAM.**<sup>a</sup> Hoc schemate quoque VENVLIEVS SATVRNIVS<sup>b</sup> utitur, cum dicit, *quae seruorum poenis non conuenit, sicuti relegatio, hic enim repeti debet, seruorum poenis non conuenit.* Plura de hoc dicendi genere BVDAEVS,<sup>c</sup> TOULLIEU,<sup>d</sup> et WIELINGIVS<sup>e</sup> commentati sunt.

§. IV

IAM ad ipsam legem propositam accedimus, ut Scaevoiae mentem sollicite inuestigemus. Evidem eam illis textibus, quos multis nodis implicitos esse credunt viri haud exigua legum cognitione imbuti, accensendam, eiusque ver-

a) L. 14. D. de transact. b) L. 12. §. 4. D. de accusat.

c) Commentar. ad ff.

d) De anantapodotis in iure occurrentibus.

e) Leet. iur. civil.

ba corrigenda esse, nec lectionem, quam liber Pandectarum Florentinus habet retineri posse, sunt, qui contendunt. Nos vero operam dabimus, ut lectionem Pandectarum Florentinam tueamur, eandemque ensis auxilio non indigere, ostendamus. Prius rāmen sententias aliorum apponemus, easque in examen vocabimus.

## §. V

## SENTENTIA ALTAMIRANI.

PRIMVM iuuabit recensuisse sententiam ALTAMIRANI,<sup>a)</sup> qui in Hispania doctrinae laude floruit sub Philippo II. Hic CAVSSAM legati vocat, rationem legandi, collatam in praeteritum et deinde docet, caussam in praeteritum CONDITIONALITER conceptam, legato adiectam, licet vera non sit, impleri tamen debere, ut legatum valeat. L. 17. §. 3. D. de condit. et demonst. Sin autem non conditionaliter concepta sit, nihil interesse, ut valeat legatum, siue sit impleta, nec ne L. 72. §. 6. de condit. et demonst. Per particularim, si, conditionaliter, per particularim, QVIA, autem non conditionaliter, caussam exprimi, cum particula, si, sit dubitantis, QVIA vero, affirmantis. Pergit ALTAMIRANVS, de iis caassis, quae conditionaliter expressae, quaeque in legatis appositae, protinus agentem repellant, Scae- uolam

<sup>a)</sup> IOANNIS ALTAMIRANI ET VELASQVEZ Comment. in prior. XIII. libr. Quaest. Q. Ceruid. Scenolae in MEERMANNI Thesaur. T. II.

uolam in principio legis, si litera negatiua, NON pro conditionalibus, retineretur, loqui, eumque de his affirmare, quod, quamvis in LEGATIS appositae, protinus agentem repellant, L. 17. D. de condit. et demonstrat. in FIDEICOMMISSIS tam non sic accipi debeant, sed pro NON conditionalibus eas obseruari oporteat. Omissa vero litera negatiua, NON, pro conditionalibus, retentaque litera affirmatiua PRO CONDITIONALIBVS, verbum illud: CAVSSAS, non ad causas de PRAETERITO, sed de FUTURO, referri debere, cum causa, in futurum concepta, etiam causa dici soleat, quod non modo IVSTINIANVS in §. 31. vers. sed si conditionaliter Inst. de legat. et IULIANVS in L. 2. §. ult. D. de donat. sed etiam ipsa legis verba in fine, confirmant. Scaeuolam igitur ostendere voluisse differentiam, quae inter legatum sub CONDITIONE et sub MODO relictum intercedat, etiamsi, tam in implemento conditionis, quam modi, testatoris interfit, veluti si testator leget, vel fideicommittat, SI MONUMENTVM FECERIT, tunc enim legatarium, etiam cautione de adimplenda conditione oblata, non statim admitti posse, ideo quod hoc legatum non tantum moram cum sumptu habeat, sed eius effectus, usque dum conditio impleta sit, suspendatur, L. 41. D. de condition. et demonstrat. et L. 5 §. 2. D. quand. Dies legat. Igitur legatarium agentem, etiam cau-

tione oblata, protinus a iudicio repellii, si nondum adimpleuerit conditionem, nec monumentum fecerit. Alias autem cauſas sine mora temporis, et sine sumptu, adimpleri non posse. L. 63. §. 7. D. ad Senatusc. Trebell. veluti si ita datum legatum, **VT MONVMENTVM FACIAT**, et hanc quidem cauſam eum, qui protinus agat, non repellere, statim enim posse peti legatum sub modo relictum, ut monumentum faciat, si modo petens offerat cautionem de monumento faciendo, cum ea sit mens testatoris, ut ea pecunia in monumentum consumeretur L. 40. §. ult. D. de condit. et demonstr. et hoc in omnibus legatis sub modo relictis obſeruari. L. 71. pr. verſ. sed etſi, et §. 1. D. de condit. et demonstr. L. 69. §. 3. D. de leg. II. et L. 19. D. de leg. III. Non igitur parem esse, iudicio Scaeuelae, illum, cui datum sit, **VT MONVMENTVM FACIAT**, atque illum, cui datum sit, **SI MONVMENTVM FECERIT**. Nam alteri **SVB CONDITIONE** relinqu legatum, ideoque perentem non, niſi conditione impleta, admitti, alteri autem **SVB MODO**, et hunc, oblata cautione, recte petere posse legatum.

### §. VII

#### DVBIA CONTRA EAM.

SATIS caute ALTAMIRANVS de differentia cauſae,  
**CONDITIONALITER**, et **NON CONDITIONALITER** poſitae,

sitae, disputat. Quod autem ad ipsam legis explicationem attinet, ille, licet in utrumque casum, siue retineatur, siue expungatur, particula negatiua NON, quem sensum legis esse putet, exponat, fidi tamen interpretis officium minus expluisse videtur. Docet enim, retenta particula negatiua NON, Scaeuelam discrimen facere inter LEGATA et FIDEICOMMISSA, easque causas, quae conditionaliter expressae, atque in LEGATIS appositae, protinus agentem repellant, nihilo minus in FIDEICOMMISSIS PRO NON CONDITIONALIBVS haberi debere. Sed de hoc nos quidem nihil in ipsa lege videmus expressum. Quod ad alteram explicationem, omissa particula negatiua NON, attinet, causa nulla IN FUTVRVM esse potest. Est enim causa, ipso ALTAMIRANO definita, ratio legandi collata IN PRAETERITVM. Neque ipsi patrocinium praestant IVSTINIANVS et IVLIANVS. Ille enim in §. 31. vers. sed si conditionaliter. Institut. de legat. loquitur de causa in praeteritum, conditionaliter posita, quod vel ipsa vox, si, uti ALTAMIRANVS ipse docet, ostendit. Et hoc quoque de verbis nostrae legis, quae cum istis plane conspirant, sentiendum esse, deinceps dicetur. Quod vero ad IVLIANI doctrinam in L. 2. §. ult. D. de donat, attinet, plane aliud est causa, quae quidem in DONATIONE, si valida esse deberet, requirebatur, quam quae in



**LEGATO.** In donatione enim mancipatio et traditio, ductu capitis tertii legis Cinciae, interuenire debebat, de quo argumento ex instituto egit **FRIDERICVS BRVMMERVS.** Porro Scaeuela in lege nostra non id egit, ut differentiam, quae inter legatum sub **CONDITIONE** et sub **MODO** relictum intercedit, ostendat. Nempe haec verba, **EAS CAVSAS,** non denotant legatum sub **CONDITIONE**, sed sub **CAYSSA CONDITIONALITER EXPRESSA,** relictum. Denique notam temeritatis vix effugere potest **ALTAMIRANVS,** cum legi detrahit particulam, quam Codices antiqui studiose seruant.

### §. VII

**NICOLAI A SALIS SENTENTIA REIICITVR.**

PROXIMVM est, vt sententiam suam exponat **NICOLAVS A SALIS.**<sup>a)</sup> *Sensus legis est*, dicit, *quod alia sit ratio fidicommisii, cui CONDITIO apponitur, alia eius, cui MODVS.* *Ibi enim statim agens ante conditionis euentum repellitur, hic vero statim agens, oblata cautione, admittitur.* Vnde patet, negationem delendam esse. Haec explicatio minime potest admitti. Fallitur enim **NICOLAVS A SALIS**, cum conditionem, fidicommisso simpliciter adiectam, in lege nostra quaerit,

quac

a) **BRVMMERVS** in *Commentar. ad Leg. Cine. Cap. XIII.*

b) *In scilicet. ad ff. et Codic.*

quae tamen causam, conditionaliter positam, continet. Nec perspicimus, quid Criticum illum mouerit, ut particulam negatiuam, NON, tollere velit. Nullum excitat exemplar Pandectarum Manuscriptum, quod illi hac in re fundamentum praestet. Videlicet, quae praestantissima censetur esse letio, Florentina, quae etiam in corpore iuris LUDOVICI CHARONDAE inuenitur, particulam NON retineret. Quantum igitur violenta est haec interpretatio, tantum illa recedere videtur a regulis artis hermeneuticae.

## §. VIII

## IAVCHII SENTENTIA EXPENDITVR.

TERTIVM sistimus interpretem, SIGISMUNDVM REICHARDVM IAVCHIVM,<sup>a</sup> qui, recte, dicit, obseruauit NICOLAVS A SALIS negationem redundare et tollendam esse, sed non attendit, pro NON legendum: NOS et postea, OBSERVARE pro OBSERVARI. Loquitur enim Iureconsultus de cautione in conditionibus et causis conditionalibus non admittenda. Evidem animus non est, ut quicquam detrahamus laudi, quam IAVCHII ingenio passim tribui videmus.<sup>b</sup> Ita

tamen

<sup>a)</sup> In medit. Critic. de negationibus Pandectaris Florentinis recte vel male adiectis vel detractis.

<sup>b)</sup> Sic insigni elogio IAVCHIVM ORNAT AVGVSTIN A LEYSER in medit. ad ff. spec. LII. Med. IV. et praesertim specimin. 534. med. 10. ubi dicit, IAVCHI in re parua idem, quod CHRISTOPHORI COLUMBI in maxima, fatum fuisse.

tamen interpretatio legis nostrae probari vix potest. Nullius enim Manuscripti autoritas eiusmodi emendationem tuetur. Nec Scaeuela de cautione in conditionibus et caussis conditionalibus non admittenda, generaliter loquitur, quod indicant verba: *EAS VERO, quae habent moram cum sumtu.* Melius tamen rem gerit IAVCHIVS, cum lectionem Codicis Florentini defendit contra HALOANDRVM, qui ultimis verbis, pro: *ut monumentum faciat, legere vult: ut monumentum non faciat.* Nam SCAEVOLA id agit, ut monstrer differentiam inter: *si fecerit, et ut faciat.* HOLOANDER autem cum aliis inter *SI FACIAT et non faciat.*

## §. IX

CHIFLETII, AVGUSTINI LEYSERI, ET SCHILTERI DOCTRINA EXPOSITVR.

SCRIPTVRAM SCAEVOLAE, quamuis ubique sibi constantem, etiam non potest concoquere CLAVDIVS CHIFLETTIVS,<sup>a)</sup> quin in singulari libro, quo totam fideicommissorum materiam pertractat, de nostra quoque lege verba faciens, particulam negatiuum, NON, uerbis: *pro conditionibus, a SCAEVOLA praemissam, praesertim ACCVRSII auctoritate motus, expungit.* Ipsam autem legem CONDITIONEM et MODVM continere dicit. Nos autem, contra auatori-

a) *De iur. fideicommiss. libr. II. Cap. XII. in EVER. OTTONIS Thesauro Iur. Rem. Tom. V. pag. 802 seq.*

au<sup>r</sup>oritatem ACCVRSSI, ex iurio ratione, particulam negatiuam retinemus, quam veteres exhibent Codices. Scilicet modestiam deserere videtur, qui, truculenta crisi, legem, quae alias seruari potest, emendat. Neque hoc defendi potest, quod pura huic legi insit conditio, quippe verba: **NON pro conditionalibus**, repugnant. Propemodum tamen CHIFLETII sententiae accedit AVGVSTINVS A LEYSER,<sup>a</sup> cum docet, in nostra lege distinctionem inter CONDITIONEM et modum proponi, et SCAEVOLAM docere, id, quod sub conditione legatum aut promissum, peti prius, quam conditio existat, non posse, id vero, quod sub modo, statim posse exigi. Hanc vero esse SCAEVOLAE mentem, dubitamus, cum id eius verba non admittant. Neque nos, cum lectioni Florentinae inhaeremus, turbat au<sup>r</sup>oritas IOANNIS SCHILTERI,<sup>b</sup> qui pro conditionalibus, duce HALOANDRO, legit pro conditionibus, et dicit, negatiuam, quae in quibusdam Codicibus ad verba pro conditionalibus legatur, admitti non posse, nisi absurdum reddamus SCAEVOLAM. Pergit deinde, SCAEVOLAM per verba: EAS CAVSSAS, legatum SVB CONDI<sup>TIONE IN FVTVRVM</sup>, et contra per verba, EAS VERO, legatum SVB MODO, exprimere voluisse. Negamus vero,

absur-

a) In meditat. ad D. Spec. CCCXCIX. Med. I.

b) In Exercit. ad. D. Exercit. XXXIX. §. 127.

C



absurdum fieri SCAEVOLA, si particula negatiua retineatur. Et recte quidem illam retineri, infra in ipsa legis expositione erit dicendi locus. Imo potius absurdus fieret SCAEVOLA, si generaliter dixisset, in nulla conditione locum habere posse oblationem cautionis. Haec enim cautio, quae a Q. Mucio Scaeuola Pontifice Maximo, Q. Mucii Scaeuolae Auguris gentili, inuenta, et in eius memoriam et honorem CAVTIO MUCIANA appellata, diu ante eius aetatem in conditionibus negatiuis fuit admissa, quod argumentum BALDVINVS, b) HOTOMANNVS, c) et CONRADI d) copiosius explicant.

§. X  
DE VARIANTIBVS NOSTRAE LEGIS. QVID SCAEVO-  
LA LIBR. VIII. QVAESTIONVM PERTRACTAVE-  
RIT. EX LIBRIS ΒΑΣΙΛΙΚΩΝ ΝΥLLVM  
PRAESIDIVM.

SUPEREST, ut exponamus, quem uerum legis sensum esse coniiciamus. Ipsa legis uerba in fronte huius libelli re-censuimus, uti leguntur Florentiae. Hanc etiam lectionem LVDOVICVS CHARONDAS in editione Pandectarum e-  
scutus

a) L. 7. D. de condit. et demonstr.

b) Iurisprudentia Muciana pag. 201. sequ. edit. Basili. 1558.

c) de cautione Muciana.

d) de cautione Muciana.

e) Antwerpiae 1575. ex officina CHRISTOPHORI PLANTINI prodidit.

cutus est; ubi in margine haec notantur; pro CONDITIONALIBVS, quidam habent PRO CONDITIONIBVS, et MORAM CONSUMPTAM, unde quidam emendauit: CONIVNCtam, Haloander: NON FACIAT.<sup>a</sup> Moram coniunctam quoque habet IAC. CVRTIVS, <sup>b</sup> ideoque a GVLIELMO FORNERIO <sup>c</sup> notatur. Hae sunt, quae nobis obuenerunt, lectio-  
num uarietates. Ostendit inscriptio, legem nostram e libro 8.  
Quaestionum SCAEVOLAE desumptam esse, e quo libro, praeter legem nostram, quatuor adhuc fragmenta, scilicet in  
*L. 14. D. de iur. Codicil. L. 10. D. de dot. praeleg. L. 21. D. de pecul. legat. et L. 19. D. ad leg. Falcid.* in corpus Digestorum translata, supersunt. Haec si comparantur, SCAEVO-  
LAM in libro 8. Quaestionum materiam legatorum pertra-  
ctasse, apparet. Inanem tamen operam susciperet, qui hoc explicandi medio adhibito, SCAEVOLAE mentem se affec-  
turum fore, putarer. Etenim subordinata sibi non sunt haec fragmenta, neque mutuam lucem sibi inuicem praestant.  
Quare, his missis, ad auxilium Graecorum confugiamus, at quale? non inuenitur nostra lex in libris βασιλεῶν. Tem-  
poribus tamen CONSTANTINI PORPHYROGENETAЕ illa valuit. Saepius enim eius mens in Digestis, quamquam aliis

## C 2. verbis

<sup>a)</sup> ANTON. AVGVSTINVS Emendation. et opinion. libr. IV. Cap. XXVII.

<sup>b)</sup> Elissōn. libr. II. Cap. IX. in EVER. OTTONIS Thes. Iur. Rom. Tom. V.

<sup>c)</sup> p. 152.

<sup>c)</sup> Select. libr. I. Cap. XXX. in EVER. OTTONIS Thes. Iur. Rom. T. II. p. 42.



verbis induita, inuenitur. Sic **CAIVS<sup>a</sup>** accurate nostram legem exprimit, cum regatum **SVB CAVSSA CONDITIONALITER CONCEPTA**, tunc demum, si fuerit impleta, utile esse dicit.

## §. XI

**CONDITIONALE FIDEICOMMISSVM IN NOSTRA LEGE NON CONTINERI OSTENDITVR.**

OMNIS autem de hac lege in eo veritur controuersia, utrum legatum seu fideicommissum, si FECERIT, sit **CONDITIONALE**, nec ne? Conditionale, ex mente **SCAEVOLAE**, esse non potest, tum quia nullus Codex Manuscriptus particulam negatiuam, **NON**, omisit, tum etiam quia palam falleret **SCAEVOLA**, si doceret, legatum seu fideicommissum conditionale esse, in quo protinus agens repellatur. Est enim conditionale legatum seu fideicommissum etiam hoc, si testator dixit: *Titio, si in Capitolium non adscenderit, centum lego, item rogo heredum meum, ut Titio, si Stichum non manumiserit, centum det, et tamen, VLPIANO teste,<sup>a</sup> legarius et fideicommissarius, cautione, quae, ut supra exposuimus, Muciana vocatur, oblata, admititur.* **CAVSSA** igitur in his **SCAEVOLAE** verbis **CONDITIONALITER EXPRES- SA** adest. Cum enim testator in testamento dixit: *Titio, si monumentum fecerit, lego centum, quidnam per illa verba: si monumentum fecerit, aliud potest intelligi, quam si tem-*

pore

a) L. 17. D. §. 3. de condit. et demonstr.

pore mortis testatoris iam perfectum sit opus. Est autem praeteritum perfectum, FECERIT, quod saepius ita obuenit. Sic IULIANVS, cum de institutionibus captoriis loquitur:<sup>a</sup> Qua ex parte me Titius heredem scriptum in tabulis suis RECITAVERIT, ex ea parte heres esto. CICERO<sup>b</sup> etiam, SI VENERINT, ponit pro si VENERVNT.

## §. XII

QVID MONUMENTVM SIGNIFICET, EXPONITVR.

MONUMENTVM FLORENTINVS<sup>c</sup> dicit rem, quae memoriae caussa in posterum proditur, in qua si corpus uel reliquiae inferantur, fiet SEPVLCHRVM. Si uero nihil eorum inferatur, erit MONUMENTVM, memoriae caussa factum, quod Graeci ονομασθαι, id est, inane sepulchrum, appellant, et FESTVS: monumentum est, quod mortui caussa inaedificatum, et quicquid ob memoriam alicuius factum, ut fana, porticus, scripta, et carmina, unde monumentum, quamvis mortui caussa sit factum, non tam significat ibi sepultum. Saepius tamen sepulchrum denotat,<sup>d</sup> quam vocis significationem nos quoque in explicanda nostra lege adsciscimus.

## C 3

## §. XIII

a) L. r. D. de his quae pro non script. habent.

b) Libr. XIV. Epist. XXII.

c) L. 42. D. de religios. et sumptib. funer.

d) Conf. CRELLII Diff. de Monumento secundum voluntatem testatoris faciendo §. i. Interdum etiam monimenti nomine veniebat falsum

PARS

## DE VARIIS MODIS LEGANDI.

**L**EGATVM, designante FLORENTINO,<sup>a</sup> est deliberatio haereditatis, qua testator ex eo, quod uniuersum haeredis foret, alicui quid collatum vult. Hanc definitionem quoque retinuit scholiares Graecus Theophili, dum inquit *λεγάτον εστι μείωσις κληρονομίας*. Relinquitur illud, uti VLPIANVS docet,<sup>b</sup> legis modo seu verbis directis. Fideicommisum autem, ex sententia VLPIANI,<sup>c</sup> est, quod non ciuilibus verbis, sed precatiuis, relinquitur, nec ex rigore iuris ciuilis profiscitur, sed ex voluntate datur relinquentis. Directa igitur verba legatorum precatiuis fideicommissorum opponuntur.<sup>d</sup> Variis autem modis testator legare, ut et fideicommittere, poterat. Nos cum non tangant legata pura, et ea, quae in diem et sub demonstratione fiunt, saltem, quid modus, quid conditio, quid causa sit, breuiter exponemus. CONDITIONEM dicimus euentum futurum, in quem

actus

**PARS SEPULCHRI.** Sepulchrum enim constare dicebatur solio, monumento et cippo. SOLIVM erat locus, in quo condebantur ossa et cineres. MONUMENTVM, quod solio erat superstructum. CIPPVS, columna in monumento, cui, quicquid ad defuncti memoriam, eiura sepulchri pertinebat, inscriptum erat. Tractat hoc argumentum PRAESES in Libr. de Gentilitate Vet. Rom. cap. 5. de funeribus et sepulchris Gentilitiis §. 9.

a) L. 116. D. de leg. I.

b) Fragm. XXIV. 1. in SCHYLTINGII Iurispr. Anteiusf. pag. 649.

c) Fragm. XXV. 1. in SCHYLTINGII Iurispr. Anteiusf. pag. 660.

d) CVIACIVS Obseru. libr. XI. Cap. XXV.

aetius suspenditur. Is, antequam legatum debetur, impleri debet, nisi quod in negatiis cautio Muciana locum habeat. Quanquam autem regulariter post mortem testatoris impleri debeat, quandoque tamen viuo testatore impleri potest,<sup>a</sup> quin quandoque eo viuo impleri debet.<sup>b</sup> MODVS est finis, quem testator, legatum vel fideicommissum relinquendo, intendit,<sup>c</sup> et denique CAVSSA est ratio, propter quam testator aliquid relinquit.<sup>d</sup> Nota est de falsa causa regula, eam, legato adiectam, illud non vitiare,<sup>e</sup> nisi constet, testatorem, si fallam sciuisse, relictum aliquid non fuisse,<sup>f</sup> vel causa falsa PER MODVM CONDITIONIS adiecta sit.<sup>g</sup> Ita enim THEOPHILVS:<sup>b</sup> εἰ μὲν τοις αἰρέτοις τὴν αἵτιαν ἐξεφόντα, εὐέσθη δε ψευδής ή αἵτια, λήψεας ἀδέν οἱ ληγατάρχους. εἴπον γὰρ θέτως, ληγατεύω Τίτῳ τὸν ἀγέρον, ἔτη διώκητε ταῦτα ἐμάκαρα πρεσβυτάτα. εἰ μὲν γὰρ διώκηται, λήψεας οὐ τῆς αἰρέτεως ἐμπληθέσθω. εἰ δέ μη διώκηται, οὐ τῆς αἰρέτεως αἰδενότης, τέτω τῷ τρόπῳ ἀδεμίᾳ ἀγωγὴ τῷ ληγαταρχῷ δοθήσεται. Legatum sub modo, eo impleto, vel cautione de impiendo facta,<sup>i</sup> debetur. In nostra autem lege, cum, si particula negativa retinetur, legatum sub causa conditionaliter concepta omnino adsit, et verba sequentia legatum sub modo indicent, illud vero protinus agentem repellat, hoc sub cautione admittat, iam patet legis sensus. MORA CVM SVMPTV denotat legata et fideicommissa, quibus conditio adiecta, quam propriis sumptibus legatarius vel fideicommissarius, antequam legatum

*a) L. 2. D. de condit. et demonstr.*

*b) L. 9. D. eod.*

*c) L. 17. §. ult. D. cod.*

*d) L. 72. §. 6. D. eod.*

*e) L. 17. §. 2. D. eod.*

*f) L. 72. §. 6. D. eod.*

*g) L. 17. §. 3. D. eod. I. 16. D. de iniust. rupt. irr. fact. testim. I. 37. D. de reb. credit. I. 3. §. 12. D. de bon. libert. et §. 31. Inflit. de legat.*

*h) THEOPHIL. Paraphras. græc. Institut. βιβλ. β. τιτλ. κ.*

*i) L. 40. §. ult. D. de condit. et demonstr.*

QK IIIk 944

X 2380193

XXIV




gatum vel fideicommissum accipiat, implere, aut cautionem  
de perpetrando facere, debet.

§. XIV

IPSA LEGIS EXPLICATIO ET CONCLVSIΟ.

DENIQUE obseruamus, SCAEVOLAM hac in lege rationes  
decidendi praemissae, et casus ipsos postposuisse. Ita autem  
verba legis, ex mente SCAEVOLAE, circumferi debere iudica-  
mus; Eos modos legandi, qui protinus agentem repellunt, ut est legatum seu fideicommissum, sub causa conditionaliter  
concepta, v. g. si MONUMENTVM FECERIT, relictum, non pro  
conditionalibus obseruari oportet, sed, si ista causa, conditio-  
naliter adiecta, tempore mortis testatoris non sit impleta, le-  
gatum seu fideicommissum inutile redditur, nec audiendus est  
legatarius seu fideicommissarius, quamvis offerat cautionem; Ii  
autem modi legandi, qui habent moram cum sumptu, quale  
est legatum seu fideicommissum sub conditione, quae propriis  
sumptibus impleri debet, relictum, quod sub modo legatum  
seu fideicommissum vocatur, v. g. ut monumentum faciat, cau-  
tione oblata admitti debent, itaque legatum seu fideicommis-  
sum vere quidem adest, tamen illud suspenditur, usque dum  
modus adimpleatur, aut cautio praestetur. Aut igitur ALTA-  
MIRANO aliisque, vim vi repellentibus, adsentiendum est, vt  
videmus adsentire multos, aut, si a vi abstinendum est, ut sem-  
per est, si modo res aliter salua esse possit, lex ita, ut dictum,  
est explicanda.

a) Conf. CRELII Diff. de Monumento secundum uoluntatem testatoris  
faciendo §. 5. pag. 26.



B. N. II, 298.  
h. 57, 20.

II K  
944

D E  
**F I D E I C O M M I S S O**  
S V B C A V S S A  
C O N D I T I O N A L I T E R C O N C E P T A R E L I C T O

*Ex mente Q. Ceruidii Scaeuelae in L. LXXX. D. de  
condit. et demonstr.*

P R A E S I D E  
**E R N E S T O M A R T I N O**  
**C H L A D E N I O D**

S E R E N I S S I M O P R I N C I P I E L E C T O R I S A X O N I A E A C O N S I  
L I I S A V L A E A C I V S T I T I A E , D E C R E T A L I V M P R O F E S S O R E P U B L I C O ,  
F A C V L T A T I S I V R I D I C A E O R D I N A R I O , C O N S I S T O R I I E C C L E S I A  
S T I C I D I R E C T O R E , C V R I A E P R O V I N C I A L I S E T S C A B I N A  
T V S A S S E S S O R E P R I M A R I O

D. I V L I I A. R. S. C I C I C C I L X V

I N A V D I T O R I O M A I O R I

P U R L I C E D I S S E R E T

A V C T O R  
**I O A N N E S C H R I S T I A N V S F R A N C K I V S**  
V I T E B E R G . S A X .

V I T E B E R G A E  
L I T T E R I S B. E P H R A I M G O T T L O B E I C H S F E L D I  
A C A D. T Y P.

